



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Ecclesiae Mediolanensis

Acta Synodalia Dioecesana Ecclesiae Mediolanensis, Pars Secunda

Borromeo, Carlo

Brixiae, 1603

Aliae declarationes breues.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11399

manibus sacerdotis, & intentè respondeat, quantum sapit ad salutationes, & exhortationem sacerdotis: & humiliter Deum deprecetur, vt oblatio quam ipse presbyter pro se, & pro peccatis suis Deo obtulerit, Deus omnipotens misericorditer per Angelum suum suscipere dignetur: & eo die, excepto vino, & carne, & sagimine, comedat quidquid vult: & sic redimat reliquos anni dies.

Cap. 29. Si quis fortè non potuerit ieiunare, & habuerit vnde possit redimere; si diues fuerit, pro septem hebdomadibus det solidos viginti: si non habuerit vnde tantum dare possit, det solidos decem: si autem multum pauper fuerit, det solidos tres. Neminem uerò conturbet, quia iustus dare solidos viginti, aut minus: quia si diues fuerit, facilius est illi dare solidos viginti, quam pauperi tres: sed attendat vnusquisque cui dare debeat, siue pro redemptione captiuorum, siue super sanctum altare, siue Dei seruis, siue pauperibus in elemosynam.

Cap. 30. Qui non potest sic agere poenitentiam vt superius diximus, faciat sic. Si tres annos continuos ieiunare debet, & non potest, sic redimere potest. In primo anno eroget in elemosynam solidos viginti sex, in secundo anno eroget in elemosynam solidos viginti, in tertio anno solidos decem & octo; hi sunt sexaginta quatuor solidi. Potentes autem homines plus dare debent, quia cui plus committitur, plus ab eo exigitur. Et qui illicita committunt, etiam à licitis se abstinere debent, & corpus debent affligere ieiunijs, vigilijs, & crebris orationibus: caro enim læta trahit ad culpam, afflictæ reducit ad veniam.

Aliz declarationes breues.

Confessarius, cum ex ijs que conscripta sunt, intelligat, pro ratione & temporum & personarum diuersas poenitentias fuisse, earumque redimendarum certam rationem adhibitam esse: arbitrio tamen suo illis omnibus mitigandis moderandisque aget, vt initio traditum est.

De poenitentia per legitimas ferias constituta; confessarius animaduertet, eo nomine intelligi feriam secundam,

quartam, & sextam, canonum legibus poenitentia, ieiunioque prescriptam. Carinae ieiunium, quod aliquando poenitentiali canone cauetur, id appellatur, quod per quadraginta dies in pane & aqua fiebat, ut sepe numero Burchardus interpretatur. Carinam alij dicunt, quidam carenam, alij carēenam, alij quadragenam.

Poenitentia per tres Quadragesimas indicta, ita intelligitur, vt cui imponebatur, is in anno pane & aqua ieiunaret Quadragesimas tres: quarum prima est ante diem Natalem Domini; altera ante Pascha Resurrectionis; tertia, quæ scilicet per dies tresdecim ante diem festum Sancti Ioannis Baptistæ agebatur, quemadmodum ex Concilij Salegustadiensis decreto perspicui potest.

DE VISITATIONE,

Et cura infirmorum,

Rubricæ seu instructiones.

Omnino tempore Parochus gregi suo inuigilare debet: sed cum primum aliquis eius curæ commissus in morbum incidit, tunc maximè omnem Parochialis charitatis diligentiam ipse in eo ponet, vt ægrotantem in via salutis rectè dirigat, & à nequissimi Dæmonis insidijs conatibusque tueatur ac defendat præsidio salutarium adiumentorum.

Quod Concilio Agathensi olim præcautum est, id Synodo Prouinciali renouatum, idem Parochus præstare curet; vt Missa celebrata, si quos in Parochiali vicinia habet, frequenter, atque adeo quotidiè, cum per alias parochialis curæ suæ occupationes potest, visitet: eisdemque præstet, prout opus esse viderit, officia charitatis, & sollicitudinis, Parochiali muneri suo coniuncta.

Quamobrè non expectabit, dū ab ægrotato vocetur; sed ipse vltro ad illū veniet.

Parochiales item suos & vniuersè & sigillatim, sepe numero prout occasio feret, hoc monebit, vt se accersant, cū primū alijs in febri morbūve inciderit. Et uerò quoniam alijs Parochialis curæ officijs aliquando fortasse destineri potest: propterea parochiæ suæ sacerdotes si quos habet, aut saltem laicos aliquot

Prouinc. 5.
qua pert ad
Sacrament.
extre. vnct.
pag. 23.
§. Quod Concilio.